

bus lecti; Leonardus Donatus, Eques, Marcius Procurator: Aloysius Georgius, Pauli olim filius, qui in ejus criminis reos inquirerent: Jacobus Pisaurus, Censor, in continentem missus. Verum adeo morbus invaluerat, ut, cum nullis remediis depelli posset, tandem Senatus consulto cautum fit, ut penitus id monetæ genus extingueretur, certoque præstituto tempore qui ad ærarium deferrent, tantumdem pretii argento, vel auro reciperent, adulterina omni prorsus repudiata atque explosa. Quo ex decreto Patrum erga subjectos studium atque pietas quam maxime eluxit, ex publico ærario supra quingentis aureorum millibus erogatis.

Ea ætate cum Michael Priolus, Vicetinus Episcopus, ex Illyrico, ubi, adsentiente Senatu, a Clemente ad invisenda quæ ad religionem spectant, missus fuerat, Venetias revertisset, repente gravi exitiæque morbo correptus, summo omnium mœrore, egregia virtutis ac sanctitatis opinione relicta, ex humanis excessit. Pontifex, ut ei Joannem Delphinum, Marcium Procuratorem, sufficere sibi permetteret, a Senatu per Offredum Internuncium enixe petiit; cum ei, qui apud Clementem legationem obierat, lex ob stare videretur, qua honores, dignitates, præmia, a Pontificibus, Regibus Principibusque oratores accipere severissimis pœnis vetabatur. At Senatus, ne Delphino, uti jam legatione perfuncto lex impedimento esset, cunctis fere suffragiis sanxit. Itaque eum Pontifex Vicetia Episcopum nuncupavit, Senatuique permittenti ingentes gratias egit: ei, cum se statim procuratorio magistratu abdicasset, Hermolaus Grimanus, Marini Principis frater, majoribus comitiis est suffectus. Inde post aliquot menses legi instauratæ additum, ne quis Reipublicæ ad summum Pontificem, vel alios Reges, ac Principes legatus ullo unquam tempore dignitates, honoresve, aut emolumenta aliqua acciperet, suosve accipere permetteret; in eos qui secus fecissent, exilii, bonorum publicationis pœna indicta: legi numquam derogaretur, adjectum, nisi, ad centum atque octoginta Patrum numerum Senatu coacto, quinque e senis suffragiorum partibus tulisset.

Anni fere exitu Marinus Caballius, ex Gallica legatione reversus, Henrici arma, quibus indutus per tela perque hostes vir-

H. Mauroceni T. III.

X 3

tute,

1603

Jacobus
Pisaurus
ad conqui-
rendum de
area mone-
ta missus.

Senatus
decretam de
area mone-
ta extin-
guenda.

Michaelis
Prioli, Vi-
cetini
Episcopi,
obitus.

Joannes
Delphinus,
Vicetia epi-
scopus eligi-
tur.

Lex de emo-
lumentis ab
oratoribus
non acci-
piendis in-
stauratur.

Henricus
Rex arma
propria ad
Rempubli-
cam per Ca-
ballium
oratorem
mittit.